8

EPISTOLA
AD SVMMVM PONTIFICEM
Scripta a PP. Soc: Ieſu
e Sinis,

Cum reſponſione Imperatoris
Sinarum ipſis data circa
Sinicos Ritus,

OBLATA SANCTISSIMO D. N.

CLEMENTI
XI.

ANNO MDCCI.

Digitized by Google

P. Ludouicus le Comte duobus ab hinc annis ad PP. Miſſionarios Societatis litteras miſit, & præcipue ad eos qui Pekini degunt, in quibus iiſdem exponebat controuerſias Romæ excitatas a D. Carolo Megrot Vic: Apoſtolico Fokienſi circa cæremonias, quibus Sinenſes Catholici erga Confucium, & Maiores vtuntur, Patres rogans, vt eam facti declarationem redderent de quolibet puncto controuerſo, quæ magis certa eſset, iuridica, ac veritati conſentanea, vt eadem poſset S: Suæ offerri. Patres eam quam addimus, e lingua Tartarica in latinam authenticè verſam reſponſionem dedere, vna cum Epiſtola ad SS. Dom: Noſtrum, cui omnia iam oblata fuere, & quoniam eadem reſponſio per omnes iam Sinenſis Regni Prouincias promulgata fuit, ac nominatim Ill.mo D. Megrot denunciata, ideo credidimus cuilibet gratum futurum illam legere; præſertim cum agatur de facti controuerſi declaratione, ab ipſo Sinenſi Imperatore publicis monumentis conſignata.

Epiſ-

Digitized by Google

Epiſtola ad Summum Pontificem.

Beatiſſime Pater.

NOtum eſt Sanctitati Veſtrę quantis laboribus Societas Ieſu Euangelio in Sinis promulgando viam aperuit, vbi externis portæ maximè clauſæ erant, ac tandem poſt Centum annos, plurimorum laborum diſpendio, in hac Curia obtinuit, publico edicto, Diuinæ legis libertatem. Quanto magis longo labore hoc opus ſtetit, & maioris Dei gloriæ res agitur, tanto plus doloris accepimus, quod nunc in extremum diſcrimen adducatur; ne vno die totum pereat, quod per tot annos perfectum eſt. Etenim ſi politicæ Conſuetudines ergà Confuſium Magiſtrum, & parentes defunctos Sinenſibus prohibeantur, euidens diſcrimen eſt, ne accuſatione qualiſcumque maleuoli, inuiolabili decreto, lex Chriſtiana à Sinis excludatur. Et verò ſperare non poſſumus ab Imperatore, vt ex violatis his antiquiſſimis conſuetudinibus, Sinarum inuidiam, ſperturbationibus obnoxiam, pro nobis ſuſtineat. Cum præſertim ipſe externus vaſtum hoc cum paucis Tartaris teneat Imperium. Huius periculi grauiſſimi experientias habemus manifeſtas, & euidentes.

Quare, cum alij alio ſenſu illas Sinenſes Ceremonias

interpretentur , quaſi idololatricas permitteremus , quas Patres noſtræ Societatis ab initio Miſſionis , demptis quibuſdam Superſtitioſis per Idololatras adiectis , vt merè politicas tolerandas cenſuerunt; & prò vtraque parte citentur textus Litteratorum Sinenſium , qui ſibi ipſis minimè conſtant ; iudicauimus adeundum eſſe Imperatorem , vt , cum ſit in libris Sinicis verſatiſſimus , Doctorum examinator , & Caput Sectę Litterarię , atque ad eum pertineat, vt potè Imperij Dominum , & Legislatorem , ſententiam ferre de legitimo legum , Rituum , & Conſtitutionum ſenſu , dubium nobis illud terminaret , & nos hinc periculo , quod aliqui aiunt , ſuperſtitionis permittendæ , indè amittendæ aliquando Miſſionis diſcrimine liberaret.

Die igitur 30. Nouembris S. Andreę feſto anni huius , ad Imperatoris Palatium manè acceſſimus , & per Aulicos Mandarinos *Iſhtien* , *& Tchang Tchang Tchou* , ad id deputatos , obtulimus Suę Maieſtati hanc explanationem Rituum Sinicorum , iam ab Aulicis approbatam , quam in his litteris incluſimus . Legit Imperator , & magnoperè probauit tanquàm legitimam Imperij Sinenſis ſententiam , ſuamque , vti patet , ex adiecto eius decreto , cuius exemplar in Palatij Archiuio aſſeruatur .

Hanc authenticam , & claram declarationem Imperatoris deferimus , proſtrati ad pedes Veſtræ Sanctitatis , humillimè rogantes , vt eam à tanto , tàm

be-

beneuolo, tantique nominis, ac eruditionis Imperatore, qui per totum ſuum Imperium Diuinæ legi publicam libertatem dedit, quique vbique quoſcumqueMiſſionarios valdè honorificè ſempèr tractauit, circà' Ritus ſui Imperij, cuius eſt Supremus Legislator, prolatam declarationem benignè excipere dignetur; atque etiàm permultorum Imperij Litteratiſſimorum Virorum, qui præcipua dignitate vigent, ſequutura poſtmodum teſtimonia, cum præſertim, qui contrariam opinionem tenent, valdè paucos, nec magni nominis conſulere potuerint, atquè etiàm per ſolam coniecturam, multa protulerunt; etenim de Imperatoris ſenſu, vt de alijs taceamus, ea detulerunt Veſtrę Sanctitati, quæ patet ex hoc decreto Imperatoris, eſſe manifeſtè veritati contraria. Alioqui magnoperè timemus ne curſus Euangelij modo felix, & tranquillus, vetuſtiſſimis huius Imperij, ſinè cauſa, conuulſis conſuetudinibus, in quarum conſeruatione rectam adminiſtrationem Imperij conſiſtere, plurimum arbitrantur, deinceps magnoperè retardetur, & temporibus ſequuturis in certam ruinam impellatur Eccleſia Sinenſis. Ad horum omnium confirmationem, & claritatem, anno proximo, plures mittemus tractatus, cum iam iam diſceſſuræ ſint Naues huius anni.

Magnoperè optaremus, omnes gentilium Conſuetudines, & Ritus abolere, in quibus vel minima ſuſpicio mali, cuiquam ſuboriri poſſet. Verùm

ne illa ſeueritate claudamus oſtium Euangelio, & Cœli ianuam pluribus animabus, more Sanctorum Patrum in primitiua Eccleſia, gentilium merè politicos Ritus tolerare cogimur; quos tamẽn paulatim, quantum tutò licet, decurtamus, alios Chriſtianos introducentes: Id in efferendis defunctis videre eſt, qui Pekini, & pluribus in locis, ſatis ſolemni pompa, prælatà Cruce, & Sacris Imaginibus benè exornatis, alijſque fidei Chriſtianæ Inſignijs, per præcipuas Vrbis plateas ad ſepulturam extrà Vrbem deferuntur.

Intereà tamquàm obedientiſſimi Filij, Vniuerſalis Eccleſiæ Patris, atque Paſtoris; proprioque Societatis noſtræ voto obſtricti, parati ſumus ad quemlibet Suæ Sanctitatis nutum, eam regulam ſeruare, in prędicando Sinis Euangelio, quam pręſcripſerit, diuinam voluntatem in Sanctæ Sedis mandato expectantes, cui aſſiſtentia Sancti Spiritus, maximè in grauiſſimis Eccleſiæ negotijs, à Chriſto promiſſa eſt.

Pekini die 2. Decembris 1700.

Sanctitatis Veſtræ

Humillimi, & Obſequentiſſimi Serui, & minimi in Chriſto Filij.

Philip. Grimaldi Collegij Rector, & Subſtitutus Vice Prouincialis.

Ant.

Digitized by Google

Ant. Thomas Superior Domus Orientalis, Belga
Thomas Pereyra
Ioſeph. Franc. Gerbillion, Gallus
Ioſeph. Suarez, Luſitanus
Ioachimus Bouuet, Gallus
Kilianus Stumph., Germanus
I. Bap. Regis, Gallus
Lud. Pernon, Gallus
Carol. Xaueri Dolzè, Gallus
Dominicus Parenin, Gallus.

Digitized by Google

Delaratio Rituum quorumdam, ſeù Conſuetudinum Sinicarum, eo ſenſu, quo Societas Ieſu hactenus Sinis eas permiſit, oblata Imperatori Camhi, *die* 30. *Nouembris Anno Domini* 1700.

ETiamſi Viri inter Europæos eruditi audierint de ritibus, quibus Sinę ſolent honorare Cœlum, Confucium, ac Defunctos Parentes; quia tamen haud intelligunt horum rituum rationem, his verbis ad nos ſcripſerunt.

Quandoquidem magni Sinarum Imperatoris munificentia, & benignitas ad omnia loca peruenit, eiuſque nominis ac ſapientiæ planè admirabilis fama, omnia omninò Regna peruaſit; videtur prædictorum rituum conſuetudinem in aliqua ratione fundatam eſſe oportère: quarè rogamus vos, vt de ÿs ad nos ſigillatim, ac diſtinctè ſcribatis. Ad hæc ſic reſpondemus.

Cum honorem Confucio exhibent Sinæ, ideò faciunt, quò ſuam ei reuerentiam teſtentur, ob traditam ſibi doctrinam, quam cum ab ipſo acceperint, quonam fieri pacto poteſt, vt ei prò ipſa, flexis genibus, demiſſoque in terram capite, debitum honorem non rependant? Ea ſcilicet eſt *vera ratio*, quia Orbis Sinicus Confucium pro Magiſtro habet, ac veneratur; & *eſt genuinus ſenſus*, quo Sinę ipſum colunt: quod certè non faciunt, vt ab ipſo ingenium, claram intelligentiam, ac dignitates petant.

Quod ſpectat libationes, rituſue, quibus proſequuntur

tur

tur propinquos fato functos; hęc ab ijs adhibentur ad demonſtrandum debitum amorem, ac reuerentiam erga illos, nec non gratitudinem ſuam erga auctores ſtirpis, ac gentis ſuę. Propterea veteres Imperatores determinarunt ritus ſolemnes, quibus quotannis, ſtatis temporibus, hyeme, atque æſtate exhibetur defunctis honor, cùm a filijs erga parentes, tùm a fratribus, cęteriſque erga ſibi amicitiæ, aut conſanguinitatis vinculo coniunctos. Quæ inſtitutio eo expreſsè *tantum* animo facta eſt, vt ea ratione exprimatur, quantum poteſt, ſummus in propinquos affectus.

De Tabellis illis, quas erigunt Auis, ac Maioribus ſuis, dicimus eas, non ideò erigi, quod credant defunctorum animas in ijs reſidère, aut in illas deſcendere, vel vt fauſta, & proſpera ab ijs petant; ſed coram illis Tabellis dapes apponunt, & oblationes faciunt *tantum*, vt ipſis quaſi viuis, & præſentibus amorem, ac reuerentiam deferentes, eo pacto demonſtrent conſtans, ac perpetuum ſtirpis ſuæ auctorum deſiderium.

Quod autem attinet ad Sacrificia Cœlo offerri conſueta à priſcis Regibus, ac Imperatoribus, ſunt ea ipſa, quæ Philoſophi Sinæ appellant *Kiao-che* (hoc eſt Sacrificia Cęlo, ac Terrę dicata), quibus ipſum *Xam-ti* (ſiuè ſupremum Dominum) coli dicunt; quam pariter ob rationem Tabella, coram qua ea Sacrificia offeruntur, præfert hanc inſcriptionem, *Xam-ti*, hoc eſt, Supremo Domino. Vnde manifeſ-

feſtum eſt hæc Sacrificia non offerri Cœlo viſibili, &materiali, ſed ſpeciatim Cœli, Terræque, ac rerum omnium Domino, ac Auctori, quem præ timore ſummo, ac reuerentia, cum non audeant proprio nomine directè appellare, Cœli ſupremi, Cœli benefici, Cæli vniuerſalis appellatione inuocare ſolent: Quemadmodum vbi loquuntur cum reuerentia de ipſo Imperatore, omiſſa reuerentiæ cauſa Imperatoris appellatione, eius Throni gradus, aut ſupremam Palatij aulam appellant: quæ appellationes cum ſint diuerſæ quoad nomen, re ipſa tamen, quoad rem, nomine ſignificatam, ſunt planè vnum, & idem.

Hinc ſimiliter manifeſtè patet, Tabellam illam honorificam, nobis olim ab Imperatore conceſſam, in qua propria manu has voces ſcripſit: *Kim-tien* (Cœlum colite) reuera fuiſſe in hunc eundem ſenſum datam.

Nos homines exteri, ac ſubditi Imperatoris, cum ſimus huiuſmodi rituum parum periti, ignoremuſque, an ſcriptum hoc noſtrum cum rei veritate concordet omnimodè, nec nè, reuerenter ſupplicamus, vt nobis ſuper ea re dignetur regia documenta impertiri, & reſponſum noſtrum, ſi in aliquo aberret à vero Sinarum ſenſu, emendare.

Sup-

Digitized by Google

Supplicatio facta Imperatori.

Philippus Grimaldi, Thomas Pereyra, Antonius Thomas, Ioannes Franciſcus Gerbillon, & cæteri Europæi, poſt maturam deliberationem ſimul habitam, cum ſcriptum hoc vellent mittere in Europam, deſiderarentque ſuper eo Imperatoris ſententiam; illud Sinicis characteribus primò exaratum, *Iteſchſcen* Mandarinus in linguam Tartaram vertit, & verſum vna cum ſocio ſuo *Tchang Tchang Tchon* etiam Mandarino, legendum Imperatori obtulit, omniumque Europęorum nomine ſubiecit ſequentia.

Scriptæ ad nos ex Europa litteræ ferunt, ibi auditum eſſe quidquid fama longè ſparſit de admirabili, modo Imperatoris Sinici magnanimitate, Sapientia, librorum intelligentia, ac perfecta in omni litterarum genere peritia; quia tamen ignorant Sacrificiorum, rituumque Sinicorum ſenſum, poſtulant vt claram ſibi illorum explanationem mittamus.

Verum, cum hæc materia pertineat ad ipſius Imperij conſuetudines, nec certò ſciamus, an clarè huius ſenſum expreſſerimus, nec nè, non audemus hoc reſponſum à Nobis, ſola priuata auctoritate noſtra mittere: quare reuerenter ſupplicamus ſuæ Maieſtati, vt nos ſuper ea re docère velit. His ad Imperatorem in hunc modum relatis, Maieſtas ſua ſic reſpondit.

Digitized by Google

Imperatoris decretum.

Quæ in hoc ſcripto continentur, optime ſcripta ſunt, planèque concordant cum magna doctrina. * Cœlo, Dominis, Parentibus, Magiſtris, ac Proauis debita obſequia prȩſtare, iſta Vniuerſo Orbi communis lex eſt: ea quæ in hoc ſcripto continentur, ſunt veriſſima, neque egent vlla prorſus emendatione.

* Sinæ doctrinã Confucij magnam doctrinã appellant.

Anno Kamhi 39. die 20. x. Lunȩ; ſeù anno Domini 1700, die 30. Nouembris

Nos infraſcripti, quibus prȩſentibus intimatum eſt authenticè Imperatoris Decretum, in horum fidem teſtamur die 2. Decembris 1700. omnes è Societate Ieſu Sacerdotes, & iurati Teſtes.

Philippus Grimaldi Collegij Rector, & Subſtitutus V. Prouincialis, Italus.

Thomas Pereira.

Antonius Thomas Superior Domus Orientalis, Belga.

Io: Franciſcus Gerbillon Superior Domus Borealis, Gallus.

Ioachimus Bouuet, Gallus.

Teſtimonium huius Decreti recognitum fuit per teſtes de nota manu, die 20. Nou. 1701. in actis Peluſij Not. A.C. cum debita legalitate Illuſtriſs., & Reu. A.C.

Digitized by Google